



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri
Disertissimi, Opera quæ exstant omnia**

Sadoleto, Jacopo

[Francofurti], 1607

XIII. Iac. Sadol. Episc. Carpent. Ioan. Lothoringio Cardinali S.P.D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69244)

tem etiam, facilitatemq; prætermitto, qua ille ad se aduentibus, & ipsius ope ac consilio uti volentibus, expositus semper fuit. Quod illa vel pietate & religione potuit esse illustrius, qua ipse erga Deum illius honoris studio incensus ferebatur: vel charitate, qua erga homines: cum nec monere errantes, nec erigere lapsos, nec solari desperantes vilo vnquam tēpore desisteret: omniaque ecclesie honos apud omnes, & autoritas magna haberetur. Quod si illa etiam spectantur, qua in hac vita nobis, qui superstiti res ad huc sumus, alleuamenta doloris sunt: nullius vnquam notam nec clarius, nec frequentius, quam Laurentij toto orbe retinamur perueniatum est. Ille curia regebat, ille & ciuib. & exteris hominibus præferebat sapientia suæ: erga pauperes comis, potentibus non infensus, bonis omnibus fautor: nulli vnquam acerbus, maximis porro Pontificibus & consilio semper, & opera, & omni fide erga amore coniunctus & consentiens. Itaq; non dubito, quin illustrata vrbis, & ista curia talis viri tam benefici, & tam salutari, morte sibi tota squallens & penè ornamentis omnibus spoliata esse videatur. Ego verd, in quem plurima illius beneficia extiterant, qui me in filij loco dilexerat, in quo ego patriam mihi sinceram & venerationem constitutam habebam, facere equidem non possum, quin graui & intolerando moerore vergeat. Sed tamen magnum mihi affert solatium, quod intueor te, quem tanto amore semper sum complexus, cuius patrii tui virtutes egregie imitatus es, eiusdem factum esse honorum & dignitatis lauream. Quod & ex animo lætor, & tibi & generi tuo Reique populi Christianæ bene id ac feliciter euenire cupio. Videor enim sperare debere, te talem patriæ & amicis futurum, ut eximias virtutes tuas ingenij, integritatis, doctrinæ, cum magno tuo commodo Christiana imprimis religio experiatur: nosque, quos tui amici sumus, tuorum ornamentorum, & laudum participes etiam sumus. Ego quod ad me attinet, quem amorem & obsequantiam perpetuo erga te habui, & aucturus etiam magis, & conseruaturus sum, sicut & mea natura, & tua precibus dignitas virtusque postulat: tu ut me ope & patrocinio tuo in vltis veniat, defendas ac tuare, magno opere te rogo. Vale. Carpent.

XIII.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT.
Ioan. Lethoringio Cardinali S. P. D.

Ex quo tempore primùm Romæ te cognoui, tecumq; aliquoties locutus, perspexi planè & virtutem tuam, & humanitatē non

non inferiorem esse, neque nobilitate generis neque fortuna: a-
 maui semper te plurimum, amplitudinemque tuam singulari ob-
 seruantia sum profectus. Sed non contigit mihi ante hoc tem-
 pus, vt redigerem tibi in memoriam illa initia nostrae familiar-
 tatis, quod vtrique nostrum & locorum distinctio, & occupa-
 tionum ac negociorū dissimilitudo, alias curas artulit. Et tamen
 non dubito, quin sicut mihi hæsit in animo perpetua recordatio
 tui, cum insigni benevolentia coniuncta: ita & tu aliquod velli-
 gium etiam nunc tuæ erga me pristinae voluntatis retineas. Hoc
 si ita est, quod confido esse, tua animi nobilitate & ingenuitate
 fretus: peto a te, vt has literas eo animo legas, quo legendæ sunt
 ab homine amplissimo simul atque humanissimo, hominis ama-
 tissimi ac deditissimi literæ. Paulus Sadoletus adolescens erudi-
 tus sanè quam liberaliter, mei qui fratris filius à me in filij loco
 diligitur, isthuc profectus est & visendæ aulae Regiæ, & Regis i-
 plius meis quoque verbis conueniendi ac venerandi causa. Et e-
 go dedi in mandatis, vt ad te adiret potissimum, tuaque imprimis
 gratia atque autoritate vteretur. Eum igitur tuæ fidei, humani-
 tati que commendo: primum, vt eum ipse comiter excipias, dein-
 de si ita opus esse cognoueris, vt præbeas illi faciles ad summum
 Regem aditus: Quanquam hoc fortassis per alios poterit conse-
 qui, veruntamen omnis tua amoris erga me significatio, magnus
 mihi honori poterit esse: quam ego abs te vehementer mediis si-
 dius expeto: nec tam vt apud cæteros honestus, quam vt tibi ipsi
 charus esse intelligat. Summa enim mihi futurum est voluptati,
 si intellexero, à tali viro, tantis ornato & ingenij & fortunæ bo-
 nis, eodemque in omni dignitate principe, studium atque obser-
 uantiam meam erga se parui non aestimari. Quæ etsi per se non
 valde expetenda sit, propter tenuitatem videlicet fortunæ nostræ,
 tamen quoniam nos ex eo genere hominum sumus, qui nunquã
 amicis solent esse dedecori: susceptamque semel amicitia & ne-
 cessitudinis fidem summa cum religione retinemus, poterit tua
 quandoque amplitudo aliquantum etiam de me sibi polliceri,
 qui eo animo sum, vt & nobilitati tuæ honorem, & virtutibus
 laudem, & dignitati cultum, & humanitati ac benevolentia er-
 ga me gratiam semper sum habiturus. Tu si hanc meam volunta-
 tem gratam tibi esse acceptamque ostenderit, libenterque mihi
 aliquod tui amoris impartueris testimonium: & studium meum
 augebis colendi perpetuò atque obseruandi tui, & hoc di-
 gnum ipso tuo genere, & maiorum tuorum, ac tua
 virtute efficies. Vale. Carpentor-
 racti.